

filium suum pro nobis tradidit; charitatem autem perfectam dicit *foras mittere timorem* (IV). Demum alia nonnulla addit de charitate et fide (ubi iterum seductores perstringit); item de tribus in terra et in coelo testibus, et de peccato ad mortem et non ad mortem, concludens Christum esse *verum Deum, et vitam aeternam*, et a simulacris abstinendum (V). - Tota epistola fervorem et charitatem Iohannis spirat, eiusque characterem apertissime praesefert.

Ad quos epistola haec directa fuerit, et ubi scripta incertum est. Creditur autem circa idem tempus quo Evangelium editum est a Iohanne missam fuisse.

Reliquae quinque *epistolae Catholicae* deutero-canonicae sunt, quemadmodum etiam *Apocalypsis* Iohannis, de quibus mox in sequenti articulo.

ARTICULUS III.

DE GENUINITATE LIBRORUM DEUTEROCANONICORUM NOVI TESTAMENTI

Evidentia illa externa et interna quae librorum N. T. genuinitatem certam atque inconcussam reddit, aliquatenus deficere videtur pro septem illis libris, qui *deutero-canonicali* appellari solent, scilicet *epistola ad Hebraeos, epistola Iacobi, secunda Petri, secunda et tertia Iohannis, epistola Iudae et Apocalypsi*.

Quapropter, ne difficultatem dissimulare videamur, operae pretium erit de horum genuinitate singillatim pertractare: ac primo de *Epistola ad Hebraeos*.

THESIS II.

*Auctor epistolae quae ad Hebraeos inscribitur
est Paulus Apostolus.*

Epistola ad Hebraeos, quae quartodecimo loco inter Pauli epistolas legitur tum in textu Graeco tum in versionibus, partim *dogmatica* est, et partim *exhortatoria*, ita tamen ut dogmata exhorta-

tionibus misceantur, nec constituant duas distinctas epistolae partes. Ad dogmata quod attinet, tractatur hic praecipue de Christi Domini Sacerdotio et Sacrificio, et de eius excellentia supra Sacerdotium et Sacrificium Leviticum. In magifico exordio epistolae exponitur et probatur Christi dignitas supra Prophetas, supra Angelos omnesque creatas res, unde statim concluditur multo gravioris criminis reum esse qui Legem novam a Christo datam violaverit, quam qui veterem per Moysen et per Angelos traditam contempserit, et salutis doctrinam a Christo, eiusque Apostolis annunciatam firmiter tenendam esse (c. I-IV, 14). Deinde de Christi Sacerdotio sublimeriter disseritur: Christus Dei filius, sed verus etiam homo, et humanae infirmitati obnoxius, excepto peccato, omnes sacerdotis partes explevit, eiusque sacerdotium secundum ordinem Melchisedech longe superat sacerdotium Aaronicum, cum propter Christi excellentiam, tum quia aeternum est, imprimis vero ratione sacrificii a Christo semel oblato, quod ad omnium peccata delenda et ad omnes sanctificandos satis fuit, quod veteris Legis sacrificia quamvis repetita efficere non poterant (IV, 14, X, 18); his vero exhortationes, et reprehensiones miscentur (c. V et VI). Transit deinde Auctor ad hortandos Hebraeos ne talem ac tantum Pontificem per infidelitatem deserant, et divinam ultionem in se provocent; mox vero in spem et fiduciam erigit, propositis praesertim sanctorum Veteris Testamenti exemplis, qui per fidem Deo placuerunt, et mira egerunt ac passi sunt (X, 19, XI, 40). Addit multa de afflictionibus, et persecutionibus fortiter tolerandis, proposito Christi patientis exemplo (XII), item de charitate, hospitalitate obedientia aliisque virtutibus sectandis (XIII, 1-18); demum et salutationibus epistolam claudit (ib. 24, 25). Epistola Romae scripta creditur in prioribus Pauli vinculis (a. 61-63), quod non solum ex codicum antiquorum subscriptionibus colligitur, sed etiam ex salutatione XIII, 24.

Hanc itaque epistolam Paulo olim abiudarunt Caietanus et Erasmus rationibus ducti potissimum internis: quorum opinionem nihil morantes Tridentini Patres epistolam ad Hebraeos inter Paulinas numerarant, quod iam a multis saeculis universae Ecclesiae persuasum fuerat. Verum dubia de huius Epistolae auctore apud Protestantes manserunt et adhuc manent, praesertim apud eos qui rationalistica placita sequuntur. Quamvis enim huius Epistolae au-

ctorem admittant nonnulli *Paulum* esse, ut Boutel, Forster, Wordsworth, Davidson aliique, plures tamen ex Protestantibus negant, et alii quidem *Barnabam* eius auctorem faciunt, ut Wieseler, et Thiersch; alii *Lucam*, quae iam Grotii sententia fuerat; alii *Apollo* ut iam Lutherus, et Clericus et post eos Bleek, Dewette, Bunsen aliique autumant; nonnulli etiam *Silam*; nec defuerunt olim qui *Tertulliano* hanc epistolam adscriberent si credimus Sixto Senensi. Contra hos omnes demonstrare aggredimur auctorem *Epistolae ad Hebraeos* esse *Paulum Apostolum*: ad quod ostendendum sequentem ordinem tenebimus: afferemus imprimis argumenta seu rationes dubitandi, quae adversus Paulinam epistolam ad Hebraeos originem adduci solent; tum vero argumenta pro Paulo auctore exponemus, postremo contrarias rationes solvemus.

§. I. Rationes dubitandi ab extrinseco petitae.

1^o Ecclesiae Latinae traditio prorsus contraria videtur. Testatur hoc in primis Hieronymus in c. VI Isaiae, ubi citans epistolam ad Hebraeos ait: « *quam latina consuetudo non recipit* »; eademque verba repetit in epistola ad Dardanum (l. infer. cit.) et in Catalogo ad vocem *Paulus*: « Epistola, inquit, quae fertur ad Hebraeos non eius creditur propter styli, sermonisque dissonantiam, sed vel » *Barnabae* iuxta Tertullianum, vel *Lucae* Evangelistae iuxta quosdam, vel *Clementis* Romanae postea Ecclesiae Episcopi, quem » aiunt sententias Pauli proprio ordinasse et orasse sermone. » Quorum dubiis ipse accedit in cit. epist. ad Dardanum ubi variis ea de re opinionibus commemoratis addit: « *Nihil interest cuius sit*, cum Ecclesiastici viri sit, et quotidie Ecclesiarum lectione » celebretur. »

Hieronymum autem in hoc non exaggerasse ostendunt plurima Ecclesiae Latinae monumenta.

Sane tribus prioribus Ecclesiae saeculis apud Latinos haec epistola vel omnino praetermittitur, vel citatur sine nomine auctoris, vel alteri auctori quam Paulo adscribitur, vel denique penitus repudiatur. Clemens Romanus eam citat sine nomine auctoris; Cyprianus, Arnobius et Lactantius in Africa eam ignorasse videntur; Tertullianus vero (De pudic. c. 20) eam Barnabae adscribit. — In

quaestione cum Montanistis abutentibus testimonio c. VI, 4-6 hanc epistolam plures rejiciebant, ut scimus fecisse Gaium Romanum presbyterum (Euseb. VI, 20) sub finem Saec. II. — In Canone Muratoriano omittitur, item in Canone Philastrii Brixienensis († 387) in haer. 88. — In ipsa Romana Ecclesia hanc epistolam non fuisse ut Pauli habitam apparet tum ex citato Gaii exemplo, tum ex Hieronymi testimonio in Catalogo n. 59: « *Apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur.* » Idemque repetit Eusebius l. cit. qui etiam alibi (III, 3) observat hanc fuisse causam cur multi eam repudiarent (1). — Etiam post canones Innocentii I et Gelasii, ubi epistola ad Hebraeos inter Paulinas recipitur, non defuerunt inter Latinos qui eam reïcerent, immo paulo ante Concilium Tridentinum Erasmus in adnotationibus in hanc epistolam (in fine), et Caietanus in commentario in eamdem (initio) eam Paulo abiudicant.

2^o Quod si Graecorum, et Orientalium traditio magis Paulinae origini epistolae ad Hebraeos favere videtur, exceptiones tamen non desunt. Siquidem Irenaeus in libris adversus haereses dum caeteras Pauli epistolas sub nomine Pauli allegat, hanc, de qua loquimur, omittit: idemque facit Hippolytus: immo utrumque eam Paulo abiudicasse testis est Photius in Bibliotheca cod. 134, et Stephanus Gobarus apud eundem cod. 232, ubi ait: « *Hippolytus, et Irenaeus epistolam Pauli ad Hebraeos dicunt non esse illius.* » Et quod magis est ipse Origenes apud Eusebium (VI, 23) auctorem epistolae ignorari fatetur, inquit: « *Quis vero hanc epistolam scripserit solus Deus scit*; ex historia autem didicimus alios quidem eam *Clementi* Romanae Urbis episcopo tribuisse, alios vero *Lucae*, qui Evangelium et Actus conscripsit. » — Ex his concludunt traditionem Ecclesiae aut contrariam esse genuinitati epistolae ad Hebraeos, aut eam saltem in incerto relinquere.

§. II. Argumenta externa pro genuinitate Epistolae ad Hebraeos et praecedentium difficultatum solutio.

Ne quis tanta argumentorum machina terreatur, antequam ad demonstrationem Theseos et difficultatum solutionem veniamus, duo censemus praemittenda.

(1) « Sciendum tamen est, inquit, Epistolam ad Hebraeos a nonnullis ideo esse repudiatam quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi. »

1° Quamvis maxima sit connexio inter quaestionem de *auctore* epistolae, et quaestionem de *canonica* eius *auctoritate*, per se tamen daae illae quaestiones distinctae sunt; etiamsi enim ex prima alteram pendere concederemus, ut nempe admissio Paulo epistolae auctore sequatur eam sacris Scripturis accensendam esse, non tamen viceversa quicumque auctoritatem epistolae admisit necessario eam Paulo adscribere debuit: poterat enim eam alteri tribuere quin eius auctoritatem negaret. Porro id fecisse scimus quosdam ex antiquis Patribus, puta Tertullianum et fortasse Cyprianum, qui originem Paulinam huius epistolae vel in dubium revocabant, vel prorsus negabant, cum tamen ipsam epistolam ut sacram Scripturam recipere. Nec par est etiam nunc utriusque quaestionis conditio: negare enim epistolam ad Hebraeos esse sacram et canonicam contra fidem esset (Concil. Trid. Sess. IV, decreto de canon. Script.); negare autem illam a Paulo scriptam, quamvis contra fidem esse putent Catharinus, et Sixtus Senensis ob laudatum Tridentinum decretum, rectius tamen a caeteris Theologis fidei contrarium absolute non creditur: non enim quidquid in Conciliorum decretis continetur de fide est, sed id tantum in quod decreti vis cadit, et quod Concilium definire voluit: Concilium autem Tridentinum in laudato decreto non praecise quinam fuerint librorum auctores, sed quinam libri *ut sacri et canonici habendi sint* definire voluit, quamvis auctores nomet. — Caeterum epistolam ad Hebraeos esse opus Pauli certum omnino est, ut ex dicendis patebit.

2° Plures ex veteribus qui epistolam ad Hebraeos Paulo abiudicare videntur, reipsa tamen nobis contrarii non sunt. Hi enim distinguebant epistolae *scriptorem* ab eius *auctore*; hunc Paulum esse fatebantur, alium vero epistolam ea forma, eoque stylo exarasse, quo nunc extat. Et id quidem duobus modis explicatum est; alii enim existimarunt Apostolum hebraica lingua ad Hebraeos scripsisse epistolam, quae deinde a Luca eius comite et familiari, vel a Barnaba aut alio Apostolico viro graece reddita fuerit: ita Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Oecumenius, Eusebius: alii vero arbitrati sunt Paulo materiam et conceptus esse tribuendos, qui ab alio graece expressi fuerint; ita Origenes, ut inferius declarabimus; Hieronymus utramque sententiam commemorat (De Viris illustr. in *Paulo*) ut explicet differentiam styli inter hanc et caeteras Pauli

epistolae. Utraque sententia quamvis neget epistolam in eo statu in quo nunc est e Pauli calamo prodixisse, eius tamen auctorem Paulum esse non inficiatur neque enim ex gr. Iesus filius Sirac est minus auctor libri *Ecclesiastici* quia, deperdito originali eius libri textu, sola graeca superest versio, vel Pontificiae Constitutiones Romanis ipsis Pontificibus tribuendae non sunt, eo quod ab eorum Praelatis et scriptoribus ad eorum mentem, et sub eorum directione fuerint concinnatae. De hisce tamen hypothesibus plura dicemus inferius: hic in genere defendimus Paulum esse auctorem epistolae ad Hebraeos: idque primum *ex argumentis externis*.

Non pauci auctores cum Bellarmino (De Verbo Dei l. I, c. 17), et Marchini (De div. et canonic. ss. libr. part. II, pag. 428, ed. Taurin. 1874), argumentum desumunt ex secunda Petri epistola c. III, 14, 15, ubi Petrus scribit: « Propter quod, charissimi, haec expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace; et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini: *sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* » Ex quibus verbis hoc concipiunt argumentum: ex S. Petri testimonio Paulus ad eos epistolam scripserat, ad quos secunda Petri epistola dirigebatur. Atqui secunda Petri epistola ad Hebraeos dirigebatur. Ergo Paulus ad Hebraeos scripsit.

Probant autem assumptum minoris ita: ad eos dirigitur secunda Petri epistola, ad quos prima eiusdem directa fuerat: siquidem in secunda epist. III, 1, 2, ait: « Hanc ecce vobis, charissimi, *secundam scribo epistolam*, in quibus vestram excito in commotione sinceram mentem, ut memores sitis eorum *quae praedixi* verborum a sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum praeceptorum Domini et Salvatoris... (V. I Petr. I, 10-13, II, 6-25, IV, 9-11). » Iamvero prima epistola certe ad Hebraeos destinata fuerat, ut ex eius titulo apparet (I Petr. I, 1). Ergo et secunda.

Hoc quidem argumentum peremptorium esset, et caeteris praefereendum, si tamen certo constaret eosdem esse Hebraeos; quibus scribebat Petrus, ac illos quibus epistola, de qua hic agitur, inscribitur. Atqui id probari non posse arbitramur. Quin imo longe probabilius videtur de diversis Hebraeis sermonem esse in utraque epistola. Et sane Petrus misit utramque epistolam ad *electos advenas dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bythiniae* (I Petr. I, 1); quo nomine vulgo intelliguntur Hebraei per provin-

cias illas extra nativam Palaestinae sedem disseminati. Contra vero epistola nostra ad Hebraeos in Palaestina commorantes missa videtur, ut externa et interna argumenta omnino suadent. Id enim affirmant unanimi consensu veteres, qui de hac epistola loquuti sunt, qui etiam hac de causa existimarunt epistolam Hebraice seu Syro-Chaldaice fuisse scriptam (1). Interni autem characteres epistolae ad Hebraeos id confirmant: in cap. XIII, 7, mentio fit *de eorum praepositis* pro fide defunctis, quod non nisi de S. Stephano, et de S. Iacobo intelligendum videtur, qui Hierosolymis martyrio sublatis sunt; in cap. X, 32-34, Hebraei ad quos est sermo, *vincula et bonorum directionem et magnum certamen passionum* pro fide toleraverant; porro id non nisi de Ecclesia Hierosolymaë verum esse potest, in aliis enim Ecclesiis ante Neronis persecutionem haec non acciderant. Idem neo-Christiani in fide nutantes exhibentur III, 7, IV, 13, VI, 3, seqq. X, 23-39, quod in Palaestinensem Ecclesiam apprime quadrat, quam scimus circa finem gubernii Felicis in magno defectionis periculo versatam fuisse. Denique totius epistolae contextus supponit lectores ad quos destinatur adhuc legis studio addictos, et externo legis apparatu ac splendore ita affectos, ut minus recte sentirent de maiestate et dignitate legis Christianae, quae magis spiritualis erat, et per homines non per angelos illis annunciata fuerat (VIII, 4, 5, IX, 6-10, 1, seqq., X, 25), quibus occurrit auctor praecellentiam novae legis, novique sacerdotii demonstrans, simulque asserens prioris legis ritus novi foederis instituta praefigurasse (cf. I-III, 6, IV, 14, V, 11, VIII, 6-13, IX, 1, X, 18 etc.); porro haec omnia in Iudaeos Palaestinos maxime Hierosolymitanos apprime quadrant, ut apparet ex Actis Apostolorum (c. XV, 4-6 et XXI, 17-21). Ex quibus aliisque indiciis concludendum videtur epistolam, de qua loquimur, ad Hebraeos in Iudaea ac praesertim Hierosolymis commorantes missam fuisse; cum igitur Petrus ad Hebraeos *dispersionis* scribat non epistolam nostram respicit in citato loco 2, Petr. III, sed potius aliam eiusdem Pauli epistolam puta *ad Ephesios*, quae videtur encyclica esse, ad

(1) Hebraei qui extra Palaestinam vivebant, quamvis scripturam hebraicam plus minus intelligerent, graece tamen non hebraice loquebantur, unde etiam *Hebraei hellenistae* appellati sunt.

omnes Asiae minoris Ecclesias destinata, quamquam in plerisque codicibus Ephesiorum nomen praeseferat (1).

Hoc itaque omisso argumento, thesim ex traditione ostendimus.

Ac primo quidem Latinorum quorundam dubitationibus opposimus *consensum Ecclesiarum et scriptorum Orientalium*, quo argumento praecipue moti sunt Hieronymus (ad Dardanum) et Augustinus (de pecc. mer. et remiss. I. 1, c. 27) ad epistolam ad Hebraeos inter Paulinas recipiendam.

Consensum hunc plenum fuisse usque a prima Ecclesiae aetate tradit imprimis idem Hieronymus, qui, teste Augustino, omnes pene ecclesiasticos scriptores legerat. Is itaque in citata epistola ad Dardanum ait: « Illud nostris (Latinis) dicendum est, hanc epistolam quae inscribitur ad Hebraeos non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiasticis Graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi. »

Et revera Ecclesiae Graecae et Orientalis quae supersunt monumenta id manifestissime ostendunt.

Imprimis enim Patres *Ecclesiae Alexandrinae* epistolam ad Hebraeos Paulo tribuebant; *Pantaenus* et *Clemens Alex.* saeculo II, id tenebant, et difficultates internas quae adversari videbantur solvebant (apud Eusebium hist. Eccles. VI, 14) (2). Qui post illos in

(1) Concessum a nobis fuit, quod totius argumenti fundamentum erat, Petri epistolas ad Hebraeos dispersas datas fuisse, quo etiam admissio, argumentum non valere ostendimus. Quid vero si etiam illud nunc in dubium revocarem? Neque enim desunt indicia ex quibus colligatur per *advenas dispersionis* quibus Petrus scribebat (1, Petr. I, 1) Christianos ab Ethnica superstitione conversos intelligendos esse saltem praecipue; quos proinde Petrus asserit *redemptos de vana conversatione paterna traditionis* (Cap. I, vers. 18) qui *aliquando non populus nunc autem populus Dei*, qui *non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti* (cap. II, 20) etc. Sed haec inuisse sufficiat.

(2) De *Clemente* enim scribit: « Epistolam autem ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone, nupte ad Hebraeos, primum scriptam fuisse; Lucam vero eandem graeco sermone studiosè interpretatum fuisse, ac Graecis hominibus edidisse, atque ideo in hac epistola et in Actibus Apostolorum eundem dictionis colorem reperiri. Solitam autem inscriptionem: *Paulus Apostolus* recte ab Apostolo omissam fuisse observat. Cum enim Hebraeis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem conceperant... prudenti consilio usus illos abstertere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit. » — De *Pantaeno* autem *Clemen-*

Ecclesia Alexandrina floruerunt cum iis consentiunt, nempe *Dionysius Alex.* (Apud Euseb. VI, 41), *Petrus Alex.* in Can. Poenit. c. 9, *Athanasius* epist. festiv. 39, *Alexander Alex.* apud Theodoretum (hist. Eccles. I, I, c. 3), *Auctor synopseos Athanasianae* et alii. Eadem fuisse traditionem *Ecclesiae Antiochena* constat ex litteris missis a Synodo Antiochena an. 264 ad Paulum Samosatenum, et ex *Methodio* in Convivio decem virginum orat. X. - *Ecclesiae Palaestinae* fides apparet ex *Cyrillo Hierosolymitano* in Catech. IV, et ex *Eusebio* Hist. Eccles. III, 3. - Pro *Ecclesia Syriaca* testes sunt praeter versionem Syriacam de qua mox dicemus, *S. Iacobus Nisibenus* (Serm. II. c. 43, Serm. XII, c. 7, 8), eiusque discipulus *S. Ephrem* (de virt. et vit. et de tormentis in f.) qui epistolam ad Hebraeos sub nomine Apostoli citant; quibus addere placet antiquum *fragmentum Syriacum* recenter vulgatum a Cl. Beelen in appendice ad suam editionem epistolarum S. Clementis ad Virgines (1). - Pro caeteris Orientis Ecclesiis innumera suppetunt testimonia. Concilium *Laodicenum* can. 60 epistolam nostram annumerat aliis Pauli epistolis, quod etiam fit in canonibus *Apostolorum* can. 85. - *Gregorius Nazianzenus* in Carmine de S. Scripturis eam recenset inter epistolas Paulinas, nam quatuordecim epistolas Pauli enumerat: Δέξαι δὲ Παύλου τέσσαρες ἑπιστολάι - *Amphilochius* in iambis ad Seleucum inter epistolas Paulinas recenset... καὶ πρὸς Ἐβραίους μίαν. - Idem faciunt *Epiphanius* haer. 42, 59 et 76; - *Basilius* adv. Eunom. I. I, c. 41 et I. III, c. 6. - *Iohannes Chry-*

tis magistro eiusdem Clementis testimonium adducit, ibidem: « Jamvero sic » cut beatus ille presbyter (Pantaenus) dicebat, quandoquidem Dominus omni- » potentis Dei Apostolus ad Hebraeos missus fuerat, prae modestia Paulus, » qui ad Gentes erat directus, Hebraeorum Apostolum se minime inscribit » tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ipse » gentium praeco et Apostolus ad Hebraeos scriberet. »

(1) Cfr. *S. Clementis B. epistolae binae de Virginitate Syriacae*, Lovanii 1866. Appendix II. *Fragmenta anecdota exegetici argumenti*. In p. 311 seq. ultimo loco legitur sequens fragmentum: « Hanc epistolam (Pan- » lus) Roma scripsit hebraice per Timotheum; ex Hebraeo vero Graecam » fecit Clemens, iuxta nonnullos Lucas. Ideo autem nomen non apposuit in » capite epistolae quia noverat se esse Hebraeus exortum, et maxime quia » Apostolatus inter Gentes illi conceditus fuerat non inter Iudaeos. San- » ctus Iohannes (scil. Chrysost.) sermonibus triginta quatuor hanc episto- » lam explanavit. »

sostomus homil. in epist. ad Hebraeos. - *Gregorius Nyssenus* et caeteri Patres Graeci.

Hisce consentiunt etiam haeretici quorum plures testimonii huius epistolae errores suos cohonestare satagebant; nempe Manichaei ex c. VIII, 13, Melchisedechiani ex c. VII, 3, 4, 7, Montanistae, Novatiani et Cathari ex c. VI, 4. - Etiam Arianos hanc epistolam initio recepisse et Apostoli verba c. I ad errorem suum pertraxisse auctor est Epiphanius haer. 53, 59, 67 licet postea a Catholicis lacesiti ex eiusdem epistolae verbis, eam reiecerint, ut inter caeteros tradit Theodoretus, qui eos ex traditione refellit in Praef. in epist. ad Hebraeos. Attamen Eusebius quamvis Arianis favens non potuit contra unanimum Ecclesiarum consensum aut reicere epistolam ad Hebraeos, aut saltem uti dubiam traducere; sed eam inter scripturas unanimi consensu receptas (ὁμολογούμενας) collocat. Sane in I. III c. 3 ait: « Pauli vero quatuordecim epistolae notae sunt omnibus et perspicuae » et quamvis statim addat a nonnullis dubitatum fuisse de epistola ad Hebraeos, eorum tamen dubia nihili facienda esse putat, nam in c. 25 ubi libros certos a dubiis, et genuinos a spuris se distinguere profitetur, iterum epistolas Pauli libris ὁμολογούμενοις accenset, nulla facta exceptione de epistola ad Hebraeos, quam etiam (c. 38) putat hebraice fuisse scriptam et a Clemente in graecum conversam. Merito igitur Theodoretus in loco citato testimonium Eusebii adversus Arianos urget (1).

Consensus Orientalis Ecclesiae confirmatur validissime ex *Codicibus* et *Versionibus* antiquis. In Codicibus enim Graecis inter Paulinas epistolas reperitur epistola ad Hebraeos, et quidem plerumque non ultimo loco posita, uti nunc in editionibus N. T. sed aliis epistolis commixta: ita in celebri Codice *Vaticano* et in Codice *Parisiensi* Ephremi legitur post epistolam ad Galatas, in Codice *Straitico* post 2^{am} ad Thessalonicenses, alias quarto loco apparet post epistolas ad Corinthios. - Quod pertinet ad versiones, omnes praestantissimae et vetustissimae versiones Orientales nostram habent epistolam: versiones *Aegyptiacae* seu *Copticae* illam

(1) « Oportet, inquit, ipsos, etsi nihil aliud, temporis saltem diuturni » tatem revereri, quo hanc epistolam in Ecclesiis perpetuo legerunt alumni » veritatis..... Eusebius divinissimi Pauli hanc esse epistolam confessus » est: et veteres omnes hanc de ea tenuisse sententiam asseruit. »

collocant post 2^m ad Corinthios; versio *Armeniaca* eam continet, et in prologo praefixo Pauli epistolis docet epistolam ad Hebraeos hebraica lingua a Paulo exaratam a Clemente fuisse graece redditam (1). Denique versio *Syriaca* non solum Philoxeniana, quae recentior est, sed etiam *Simplex* quae ab aevo Apostolico descendere existimatur, epistolam ad Hebraeos cum caeteris Pauli exhibet; quod testimonium eo magis notandum est, quod fere certum sit quatuor Catholicas epistolas (2^m Petri, 2^m et 3^m Iohannis, et Iudae), de quibus aliquando dubitabatur, in ea versione originario desideratas fuisse.

Ex quibus iam concludere licet Graecorum et Orientalium consensum certum ac plenum semper exstitisse pro Paulo auctore epistolae ad Hebraeos.

Exceptiones ab adversariis adductas non admittimus.

Sane quod pertinet ad *Irenaeum* et *Hippolytum*, imprimis hi ad Orientalem Ecclesiam non pertinent, cum alter Lugdunensis, alter Portuensis episcopi fuerint, quamvis graece scripserint, qui Latinorum Doctorum mos erat tribus primis Ecclesiae saeculis, exceptis Africanis. Deinde adversarii non probant eos nobis contrarios esse. Si enim *Irenaeus* in libris adversus haereses non commemorat epistolam ad Hebraeos, non ideo dicendus est eam reiecisisse, aut Paulo abiudicasse: neque enim catalogum librorum sacrorum usquam exhibet *Irenaeus*, in quo epistolam nostram praetermisit; sed solum Scripturas pro data opportunitate citat, aliquando expresso, saepe vero omisso nomine auctoris: quis autem illum coegit omnes omnino libros N. T. citare? potuit igitur omittere epistolam ad Hebraeos sicut omisit epistolam ad Philemonem, de qua tamen nulla umquam extitit dubitatio. Quamquam si de mera citatione verborum sermo sit, *Irenaeus* in laudato opere nonnulla affert ex epistola ad Hebraeos ex. gr. lib. II. c. 30 coll. Hebr. I, 3, l. IV, 11, n. 4 coll. Hebr. X, 4 et alibi. Praeterea non solos libros adversus haereses scripsit S. Doctor, sed alia etiam de quibus Eusebius mentionem facit (Hist. Eccl. lib. V. c. 25, 26); inter haec autem extabat libellus variarum disputationum (Βιβλίον τῆς διαλέξεως διαφόρων) « in quo, ait Eusebius, epistolae ad Hebraeos, et

(1) Cfr. celebrem editionem criticam huius versionis Venetiis 1805, to. IV.

Sapientiae Salomonis mentionem facit, et quasdam ex iis libris sententias adducit ».

Eadem plus minus dicenda sunt etiam de *Hippolyto* Portuensi. Quod enim is reiecerit epistolam ad Hebraeos aut alteri quam Paulo tribuerit ex eius operibus probari nequit. Immo in eius scriptis non semel allegata reperiuntur huius epistolae verba ut ex. gr. in comment. in Dan. XIII coll. Hebr. X, 31. (V. edit. *La Garde* p. 149) in libro de Fine mundi et Antich. coll. Hebr. XI, 38 (ibid. p. 148), in demonstr. C. Iudaeos coll. Hebr. XIII, 12 (ibid. p. 64); et si verum est partem libri VIII Constit. Apostolicarum ex Hippolyti scriptis excerptam esse, ut plures recentiores critici existimant, aliud haberemus ab eo citatum testimonium, nempe Hebr. XIII, 17 (ibid. p. 89). — In omnibus autem Hippolyti scriptis ne verbum quidem occurrit ex quo appareat illum originem Paulinam nostrae epistolae negasse.

Post haec parum nos movebit auctoritas Stephani illius Gobari obscuri haeretici Trithetae apud Photium in Bibliotheca codice 232 (1) affirmantis *Irenaeum* et *Hippolytum* epistolam ad Hebraeos Paulo abiudicasse. Quod si idem de Hippolyto affirmat Photius ipse in codice 121 dicens se id legisse in eiusdem Hippolyti libello *adversus haereses* (2), cum hic libellus amplius non extet, neque alium praeterea testem huius rei habeamus, possemus id merito in dubium revocare; cum enim Photius saeculi IX scriptor decipi non potuisset, libellum hunc ex dictis S. Irenaei conflatum Hippolyto tribuens, qui forte alterius esset? Certe de genuinis vel suppositis Hippolyti libris magna olim videtur extitisse controversia, et adhuc existit.

Restat tamen aliquid dicendum de *Origene* qui et Graecus fuit et inter Graecos SS. Scripturarum scientia facile princeps; quem adversarii sibi vindicant eo quod de epistola ad Hebraeos disserens apud Eusebium VI, 25, dicit *soli Deo notum esse quis hanc epistolam scripserit*. Verum si integer locus Origenis legatur, apparebit eum sententiae nostrae favere potius quam contradicere. Ait enim: « Ego vero ita censeo: sententias quidem ipsas Apostoli » esse, dictionem autem et compositionem verborum esse alterius » cuiusdam qui dicta Apostoli commemorare, et quasi in commen-

(1) V. Patrol. Gr. to. CIII, col. 1103-4.

(2) V. ibidem col. 403-4.

- » tarium redigere voluerit ea quae a magistro audiverat. Proinde
- » si quae Ecclesia hanc epistolam pro Paulina habet, eo nomine
- » laudetur. Neque enim temere maiores eam Pauli esse tradide-
- » runt. Quis autem revera illam scripserit, soli Deo notum esse
- » arbitror. Sed scriptores, quorum monumenta ad nos pervenerunt,
- » partim Clementi Romanae Urbis Episcopo eam adscribunt, partim
- » Lucae qui Evangelium ad Actus Apostolorum literis tradidit » (1).

Origenes itaque epistolam ad Hebraeos tamquam Pauli Apostoli suscipi vult ex maiorum traditione, et laudat Ecclesias quae eandem Epistolam ut Paulinam habebant. Arbitratur autem Apostolum sententias tantum seu conceptus (νοήματα) suppeditasse, qui alterius stylo ac phrasi (ἡ φράσις καὶ ἡ σύνθεσις) fuerunt ornati; quisnam autem is fuerit qui in epistola concinnanda Paulo operam praestitit se ignorare fatetur, ac varias de eo veterum sententias refert. Verba igitur Origenis ab adversariis obiecta, non ad epistolae auctorem quem Paulum esse dicit, sed ad eius scriptorem referenda sunt iuxta distinctionem superius indicatam (2): hinc in aliis locis ex. gr. hom. VII in los. Origenes quatuordecim Pauli epistolas absque ulla exceptione admittit. Quibus perpensis apparet neque Origenem adversariis concedendum esse.

(1) Patrol. Gr. to. XX, col. 584-86.

(2) Origenis verba possent ita intelligi, ut epistolam ad hebraeos nulla ratione à Paulo compositam dixerit, sed tantum ex eius dictis et monitis ab altero concinnatam. Graeca enim verba haec sunt: «... τὰ μὲν νοήματα τοῦ Ἀποστόλου ἔστιν, ἡ δὲ φράσις καὶ ἡ σύνθεσις ἀπομνημονεύσαντις τινος » τὰ Ἀποστολικὰ, καὶ ὡς περὶ σχολιογράφου ταῖς ἐπιφύλαξιν ὑπο τοῦ διδάσκου » quamvis autem duo illa verba ἀπομνημονεύσαντις σχολιογράφου a quibusdam interpretibus reddita fuerint: in commentariis redigere et dictata ea praeceptoris ore scribere, quod difficultatem tolleret, eorum tamen verborum vis, ut recte observat Valesius in hunc locum potius est: commemorare, et retuli in commentarium redigere. Verum huiusmodi loquendi ratio ita accipienda est, ut conveniat cum communi Graecorum sententia de Paulo auctore epistolae ad Hebraeos. Origenes itaque existimavit Clementem, vel Lucam ad modum scholii vel commentarii exposuisse conceptus Pauli non quoscumque, sed illos quos Paulus Hebraeis significare volebat, et eisdem Pauli nomine; ut nunc fit ex. gr. in Congregationibus Romanis cum mens, uti aiunt, datur scriptori, et eam suis verbis exponat, et nomine eiusdem Congregationis ad eos mittat, quibus epistola vel rescriptum destinatum est. Hanc esse Origenis sententiam apparet tum ex eo quod dicat epistolam Pauli esse, et in aliis locis absolute dicat Pau-

Haec de Ecclesia Graeca et Orientali.

II. Accedimus nunc ad traditionem Ecclesiae Latinae, seu Occidentalis, quam adversarii nobis omnino contrariam esse putant. Immerito tamen. Non enim est confundenda Ecclesiae traditio cum privatis hominum opinionibus, quae saepe praedicatae esse possunt, et ab Ecclesiae sensu alienae.

Itaque contendimus traditionem Ecclesiae Latinae universim et proprio sensu acceptam minime contradicere Paulinae Epistolae ad Hebraeos origini, imo illam apprime confirmare, quamvis nonnulli olim extiterint apud Latinos qui Apostolum huius epistolae auctorem non agnoscerent. Et sane dissensus ille Latinorum ab adversariis obiectus 1° nunquam fuit universalis in Latina Ecclesia, 2° nec fuit auctoritate aliqua Ecclesiastica firmatus, sed inter privatas hominum opiniones circumscriptus, 3° nec criticis rationibus alicuius momenti innixus, sed ex accidentalibus adiunctis veluti casu exortus, 4° non fuit constans ac perpetuus. Quae omnia cum desint, quis vere dixerit Ecclesiam Latinam, eiusque traditionem nobis adversari?

Sed iam quatuor illa breviter ostendenda sunt.

Et 1° dissensus non fuit universalis. - Plura enim afferri possunt testimonia Latinorum qui epistolam ad Hebraeos ut Pauli susceperunt: quod in primis ipse Hieronymus testatur in epist. 126 ad Evagrium inquit: « Epistolam ad Hebraeos omnes Graeci recipiunt, et nonnulli Latinorum; » imo antiquiores Latinos plerumque illam admisisse non obscure innuit S. Doctor in epistola ad Dardanum ubi ait non solum Orientis Ecclesias, sed omnes retro Ecclesiasticos Graeci sermonis scriptores illam epistolam ut Pauli Apostoli recepisse. Cum enim sciamus Latinos scriptores tribus primis saeculis saepe graeco sermone scripsisse, et Hieronymum eos ab Orientalibus distinguat, possumus merito sub ea appellatione etiam antiquiores Latinos Scriptores intelligere: praesertim cum

Inn XIV scripsisse epistolas, tum ex mente antiquiorum scriptorum, ad quos appellat, qui tantum in sensu a nobis explicato affirmaverant a Luca, vel Clemente epistolam ad Hebraeos fuisse scriptam, tum denique ex eiusdem epistolae characteribus, quibus Origenes contradicere nec potuit nec voluit: nam haec epistola et ad Hebraeos inscripta est, et exhibetur ut ad eos missa ab ipso Paulo, qui eos in fine salutat XIII, 20, 25, eiusque nomine suo loquitur, et epistolam se scripsisse innuit eodem capite XIII versiculis citatis, et praecipue vers. 22, 23.

contrariam sententiam uti *recentem* habet Hieronymus, eamque appellet *huius temporis consuetudinem*, cui *ceterum scriptorum auctoritatem* opponit (V. infra integram locum). Et revera latini Doctores non pauci vel aequales vel antiquiores Hieronymo in nostra sententia fuerunt, scilicet: *Lucifer Calaritanus* De non conveniendo cum haeret. *Ambrosius* De fide ad Gratianum l. I c. 4, et etiam de Poenitentia II, 2 ubi contra Novatianos agit qui huius epistolae verbis (VI, 4) abutebantur, *Hilarius* De Trin. IV, 1 et in ps. 14, 3, *Victorinus* Afer adv. Arium lib. I c. 2, *Soter* Rom. Pontifex (Patrol. Gr. to. X col. 1135), *Cassianus* Collatione prima c. 14, *Rufinus* expos. in symbolum ubi enumerans sacros libros n. 37 post Evangelia et Actus ait: « Pauli epistolae quatuordecim. » *S. Philastrius Brixianensis* haeres. 89 ubi reprehendit eos qui epistolam ad Hebraeos uti Pauli non recipiebant, *Gaudentius Brixianensis* serm. II in Exodum, *Pacianus* ad Sympronianum epistola 3 n. 13, *Faustinus Romanus* presbyter lib. c. Arianos, *Augustinus*, de quo infra, *Chromatius* Aquileiensis De octo beatitudinibus; *Auctor* libri De operibus cardin. et Expos. symboli inter opera Cypriani, et alii plures, quibus hic addimus testimonium nondum observatum *Luculentii* vetusti Latini Doctoris, cuius commentariorum fragmenta ex codicibus Vaticanis edidit Card. Mai (Scriptorum Veterum Vaticana collectio to. IX pag. 189 seqq.) et I. P. Migne (Patrol. Lat. to. LXXII col. 851 seqq.): hic auctor, qui iuxta laudati Eminentissimi viri coniecturas valde antiquus est (1), in fragmento comment. in epistolam ad Hebraeos eius auctorem Paulum esse docet, et idque data opera defendit respondens consuetis obiectionibus ex omissione nominis et ex diversitate styli petitis: existimat autem epistolam a Paulo hebraice scriptam, et post eius excessum a Luca in graecum conversam (PP. Lat. to. cit. col. 854).

Accedunt *Canones* et *Decreta* Conciliorum Latinorum de quibus mox dicemus. Ex quibus omnibus apparet oppositionem Latino-

(1) Qua praecise aetate Luculentius iste floruerit, tacentibus de hac re Ecclesiasticis monumentis, definiri nequit: laudatus Cardinalis Mai (to. cit. praef. p. XXI. eum valde antiquum existimat, idque arguit 1° ex reprehensione Arianorum quam passim auctor inicit, 2° ex iis quae habet (id. p. 195.) de catechumenis nobilioribus baptismi susceptionem distrahentibus, et negligentibus; qui abusus incidit in epocham priorum Christianorum Imperatorum. Quare videtur hic auctor ad Saeculum IV vel ad primam Saeculi V partem pertinere.

rum non solum non universalem fuisse, sed multo leviorum quam nonnullis visa est, ita ut plerique et nobiliores Ecclesiae Latinae testes nobis faveant (1). Praecipua difficultas quae nobis ob stare videretur, est Hieronymi auctoritas in locis ab adversariis citatis praesertim in epistola ad Dardanum. Verum respondemus Hieronymum tum in citato loco, tum alibi nobiscum omnino sentire, non obstantibus aliorum dubiis, quae ipse historice refert, et quibus minime assentitur. Recitandum est illud in primis integer locus epistolae ad Dardanum: — « *Vas electionis*, inquit, loquitur ad » *Hebraeos*: fide qui vocatur Abraham obedivit egredi in locum, » quem accepturus erat in possessionem (Ep. ad Hebr. c. XI v. 8)... » multisque in medio Sanctis commemoratis ad extremum intulit: » et hi omnes testimonium habentes in fide non acceperunt re- » promissionem, Deo nobis melius quid providente ne sine nobis » perfecti fierent (ib. v. 39, 40)... Nec me fugit quod perfidia He- » braeorum haec testimonia non suscipiat, quae utique V. T. au- » ctoritate firmata sunt. *Illud nostris dicendum est hanc epistolam* » *quae inscribitur ad Hebraeos non solum ab Ecclesiis Orientalis,* » *sed ab omnibus retro Ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus* » *quasi Pauli Apostoli suscipi*, licet plerique eam vel Barnabae, » vel Clementis arbitrantur, et nihil interesse cuius sit, cum Ec- » clesiastici viri sit, et quotidie *Ecclesiarum lectione celebretur*. » Quod si eam Latina consuetudo non recipit inter Scripturas Ca- » nonicas, nec Graecorum Ecclesiae Apocalypsim Iohannis eadem » libertate suscipiunt: et tamen nos utramque suscipimus, *nequa-* » *quam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum* » *auctoritatem sequentes* qui plerumque utriusque abutuntur testi- » moniis non ut interdum de apocryphis facere solent, quippe qui » et gentilium literarum raro utuntur exemplis, *sed quasi cano-*

(1) Opportune animadvertit Emum Franzelin in *Tract. de Div. Tradit. et Script.* Thesi XVI, quod licet Eusebius et alii post eum saepe mentionem faciant de Latinis qui epistolam ad Hebraeos repudiabant, nemo tamen dicit quinam isti fuerint; interim ex omnibus Latinis Scriptoribus quorum opera supersunt vix unus aut alter afferri potest qui in hac sententia fuerit; canones librorum sacrorum apud Latinos confecti laudatam epistolam inter Paulinas recipiunt; illi ipsi qui contrariam sententiam commemorant eam reprehendunt, et nobiscum sentiunt. Ex quibus apparet neque ita generalem, neque ullius ponderis fuisse illam consuetudinem Latinorum, quae nobis obicitur.

» *nicis et Ecclesiasticis.* » Igitur Hieronymus non consentit dubiis circa genuinitatem epistolae ad Hebraeos. Imprimis enim absolute eam citat sub nomine Apostoli: « Vas electionis (i. e. Paulus) loquitur ad Hebraeos » quod etiam alibi facit, ex. gr. in libro 1^o adv. Iovinian. c. 43: « Apostolus ad Hebraeos: propterea, inquit, » debemus intendere amplius his quae dicuntur, ne forte pereferamus » (Hebr. II, 4). Deinde reprehendit illos ex Latinis, qui auctorem Paulum negabant, ipsisque Orientalium et Graecorum omnium traditionem opponit. Tandem non obstantibus his dubiis Hieronymus fatetur se recipere epistolam ad Hebraeos. Illa autem verba: « Licet plerique etc. » ostendunt distinctionem inter auctorem et scriptorem Epistolae a Hieronymo admissam (quod aliunde constat ex clarissimo eius testimonio in Catalogo sub voce Paulus et alibi), qua posita dicit quaestionem de scriptore non magni esse momenti cum alioquin certum sit epistolam scriptam esse a viro Apostolico. Hanc autem fuisse mentem Hieronymi apparet ex integro contextu. Dicit enim epistolam ad Hebraeos ab omnibus tanquam Pauli suscipi, licet plerique arbitrentur illam esse Clementis vel Barnabae; quae essent contradictoria nisi dicamus Hieronymum distinctionem posuisse inter auctorem et scriptorem Epistolae. Igitur omnibus perpensis est concludendum Hieronymum nobis omnino consentire. Quod vero pertinet ad Africanos scriptores adversarii non probant Cyprianum, Arnobium et Lactantium reiecissemus epistolam ad Hebraeos: duo enim postremi scriptores cum adversus Paganos scripserint, qui philosophicis argumentis non Scripturarum testimoniis revincendi erant, mirum non est si hanc epistolam nusquam commemorarent; neque enim alios libros magis citant nisi quosdam rarissime: Cyprianus etiam nihil habet quod ostendat eum Epistolam ad Hebraeos Paulo abiudicasse: quod si in Libro de marty. ait Paulum ad septem Ecclesias scripsisse, quo videretur excludere epistolam ad Hebraeos, responsio in promptu est, nempe Hebraeos ad quos Paulus scribebat specialem Ecclesiam non constituisse, sed per varias Palaestinae Ecclesias fuisse dispersos. — Quid autem moverit Tertullianum ut epistolam nostram Barnabae adscriberet divinare non possumus; in hoc tamen sectatores nullos habuisse videtur; nisi forte et ipse intelligendus sit non de auctore, sed de scriptore eiusdem epistolae. — Caeterum quatenus fuerit Africanae Ecclesiae traditio in re de qua agimus ex Conciliorum Africanorum

decretis et canonibus apparebit, quae mox afferemus, ubi etiam de sententia Ecclesiae Romanae sermo erit. — Interim concludamus Latinorum dissensum minime universalem fuisse, sed ad quosdam dumtaxat pertinuisse.

2^o Non fuit auctoritativus. — Provocamus adversarios ut in medium proferant monumentum aliquod auctoritativum Ecclesiae Latinae, in quo negetur Epistolam ad Hebraeos esse Pauli Apostoli. Immo ex Ecclesiae Latinae monumentis contrarium prorsus eruitur. Sane in Conciliis apud Latinos habitis non solum nihil contra nostram epistolam actum est, sed contra eadem inter canonicas Pauli epistolas relata est: ita in Concilio Arausicano II in causa Pelagianorum celebrato, circa finem, ubi de fide supernaturali est sermo, legitur: « Unde Abel iusto, et Noe, et Abraham, et Isaac, et » Iacob omnique antiquorum sanctorum multitudini illam praecelaram » fidem quam in ipsorum laudem praedicat Apostolus Paulus non » per bonum naturae... sed per gratiam Dei credimus fuisse colatam » illud autem fidei Patriarcharum elogium legitur in Epistola ad Hebraeos XI. — Ante Concilium Arausicanum celebrata fuerunt Africana concilia, nempe Carthaginiense III (a. 397), et Hipponense (a. 393) in quibus catalogus, seu canon librorum sacrorum editus est iuxta Patrum traditionem, et epistola ad Hebraeos cum ceteris Pauli epistolis connumerata: Pauli epistolae tredecim; eiusdem ad Hebraeos una; idemque repetitur in Concilio Carthaginiensi IV (a. 419) can. 29. Huius doctrinae non immemores Episcopi Africani in Sardiniam relegati in epistola sua synodica cap. 13 ad gratiae necessitatem confirmandam utuntur testimonio Hebr. XIII, 21, quod Paulo adscribunt: « De Domino enim (inquiunt) dicit Apostolus: Aptet » vos in omni bono, ut faciatis voluntatem eius faciens in vobis » quod placeat coram se (Hebr. XIII, 21). » Et haec quidem de Conciliis Latinorum circa Hieronymi aetatem. Idem dicendum est de canonibus seu catalogis LL. SS. a Latinis Doctoribus confectis ut est catalogus Rufini l. super. cit. et canon S. Augustini De Doctr. Christ. l. II c. 8, in quibus legitur epistola ad Hebraeos sub Pauli nomine: in canone Muratoriano omittitur, sed haec omisio a nobis suo loco explicabitur, ubi etiam videbimus hunc canonem privata auctoritate confectum esse: ad Philastrium autem quod pertinet qui in haer. 88 omisit in canone epistolam ad Hebraeos, respondemus eum per quamdam oeconomiam id fecisse, cum tamen epistolam

ad Hebraeos et reciperet et Pauli esse contenderet; sane in seq. haer. 99 ait epistolam ad Hebraeos *interdum legi* in Ecclesiis, et eos qui negabant eam a Paulo scriptam damnat ac refellit, ut supra vidimus. — Hisce adde argumentum ex *Latina Vulgata* in qua sive ante sive post Hieronymianam recensionem epistola ad Hebraeos cum ceteris Pauli semper adfuit; adde etiam antiquissimos libros *liturgicos* Ecclesiae Latinae, in quibus lectiones ex *epistola B. Pauli Apostoli ad Hebraeos* assignantur ex. gr. in die Nativitatis Domini ad 3. Missam.

Sed iam de *Ecclesia Romana* nonnulla speciatim dicenda sunt, quam nobis contrariam olim fuisse adversarii contendunt testimoniis innixi Eusebii, et Hieronymi.

Respondemus tamen etiam in Ecclesia Romana distinguendas esse privatas hominum opiniones qui Romae vixerunt, ab ipsius Ecclesiae et Sedis Apostolicae sententia. Illas concedimus aliquando adversas fuisse (si tamen probari possit alios quosdam Romanos in horum numero extitisse praeter unum Gaium presbyteram); ipsius vero Ecclesiae Romanae et Apostolicae Sedis fidem ac traditionem nobis omnino consentientem semper invenimus. Et re sane vera primus inter Romanos praesules, quorum scripta habemus, S. *Clemens*, vir Apostolicus, epistolam ad Hebraeos et agnovit et passim allegavit, ut discrete testantur Eusebius (III, 38) et Hieronymus (in Catalogo sub voce *Clemens*), et unusquisque observare potest in prima eiusdem epistola ad Corinthios. Ibi enim S. Doctor plures inserit sententias ex epistola ad Hebraeos desumptas, iisdemque interdum verbis utitur; inter caetera integrum pene caput primum huius epistolae exscribit, ac generatim stylum eiusdem ita refert, ut hac de causa plures ex antiquis, quibus assentitur Eusebius l. c. existimaverint epistolam ad Hebraeos ab eodem Clemente ex hebraico in graecum fuisse conversam: quod si Paulum non nominat, recolendum est Clementem neque alios sacros Scriptores unquam nominare, quorum testimoniis passim utitur. Post saeculum autem IV. Romani Pontifices Epistolam ad Hebraeos absque ulla dubitatione inter Paulinas recensent, ut fit in Canone Innocentii I (a. 405) in epistola ad Exsuperium Tolosanum; in canone Gelasii in Synodo Romana LXX Episcoporum (a. 496); in epistola Bonifacii II ad Caesarium Arelatensem, ubi *Beato Paulo* tribuit testimonium ad Hebraeos XII, 1, 2; item in canone Eugenii IV; in Constitutionibus

Sedis Apostolicae, etc. Primus autem ex laudatis Romanis PP. Innocentius initio citatae epistolae ad antiquam traditionem provocat affirmans se responsurum quod *custodita temporum series* sequendum esse demonstraverit; quo nomine procul dubio antiquiorum Pontificum, et Sedis Apostolicae traditionem praecipue intelligere oportet. Unus Gaius Romanus presbyter nobis est contrarius, qui cum Proclo Montanista disputans huius Epistolae testimonio abutente putavit se nodum quaestionis praecidere negando Paulinam eiusdem epistolae originem. Testimonium igitur est privati hominis in Romana Ecclesia degentis, non vero ipsius Romanae Ecclesiae. — Quod autem Gaius epistolam ad Hebraeos Paulo abiudicaverit, refert Hieronymus De Viris illustribus in *Gaio* ubi ait: « epistolas quoque » que Pauli tridecim tantum enumerans, decimamquartam quae fertur ad Hebraeos *dicit non eius esse* » quod ex Eusebio videtur desumptum l. VI c. 20 ubi eadem fere verba leguntur; quamvis non dicat Eusebius Gaium abiudicasse Paulo epistolam, sed tantum: *eam quae ad Hebraeos inscripta est cum reliquis non annoverasse*. Utrum vero cum Gaio alii quoque Romani Doctores idem senserint non satis constat, vel certe pauci tantum et obscuriores esse debuerunt. Eusebius enim id aliquando obiter et veluti ex incerto rumore refert l. III c. 3, et in cit. l. VI c. 20 enarrata Gaii sententia subdit: « Sane haec epistola etiam nunc a quibusdam Romanis Apostoli esse non creditur. » Ex quibus apparet temperandum esse Hieronymi assertum, qui in citato loco pariter post Gaii opinionem emphatice addit: « sed et apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur. »

Postremo omittendum non est in citatis Eusebii, et Hieronymi locis a quibusdam sub *Romanorum* nomine intelligi generatim *Latinos*, non vero homines Romae degentes: solent enim aliquando veteres vocibus illis promiscue uti, et ipse locus Eusebii superius citatus III, 3 ubi ait: « epistolam ad Hebraeos ideo esse a nonnullis repudiatam quod dicerent eam ab *Ecclesia Romana* pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi » in versione Rufini ita redditur: « scio tamen apud *Latinos* de ea, quae ad Hebraeos inscribitur haberi dubitationem » (V. notam Valesii in h. l.).

Ex hisce omnibus manifestum fit Latinorum oppositionem ac dissensum privatis opinionibus conflatum fuisse, nullaque Ecclesiarum Latinarum auctoritate sancitum.

3° Latinorum dissensio non ex criticis rationibus orta est sed ex incommotis quae ex Pauli epistola provenire videbantur, et a quibus nonnulli disputantes nesciebant se expedire, ut iam ex dictis apparet. Haec vero causa utpote omnino *extrinseca* et *accidentalis* nullius ponderis est contra critica et positiva argumenta pro Epistolae nostrae genuinitate. Scilicet primum Montanistae, tum etiam Novatiani in testimoniis huius epistolae praesidium suorum errorum collocantes, eandem nonnullis suspectam reddiderunt; qui hac de causa illam omittere consultius putarunt, aut caute et parce adhibere; posteriores vero scriptores huiusmodi haesitationem vel silentium antiquorum animadvertentes in eandem suspicionem vel dubitationem inciderunt, ad quam confirmandam non parum fortasse contulit saeculo IV Arianorum audacia qui verba capitis I, 2-4 huius epistolae ad errorem suum trahere solebant. Cum autem periculum cessasset, re mature perpensa, apparuit dubitationes illas nullo solido fundamento innixas fuisse.

Hinc 4° dubia illa parum durarunt. Et sane ante saeculum III in cuius initio disputatio illa Gaii habita est, nullum eorum vestigium apparet; post saeculum vero IV vel V iam dubitationes istae fere evanuerant, scilicet post canones Concilii III Carthaginensis, Innocentii I et Gelasii; quod apparet ex testimoniis Concilii Arausiacani secundi, et Bonifacii II sup. cit. item ex Gregorio M., Isidoro Hispalensi, Avito Viennensi, Cassiodoro caeterisque Latinis scriptoribus usque ad Concilium Florentinum, in quo canon divinatorum librorum editus est, et epistola ad Hebraeos inter canonicas Pauli epistolas recensita, quod rursus confirmatum est in Concilio Tridentino sess. IV. Apud nonnullos dumtaxat videntur antiqua dubia, ex inveterata potius consuetudine, quam ex critica aliqua ratione perseverasse, de quibus mentio fit apud Primasium (Praef. in epist. ad Hebraeos), qui eorum opinionem cum indignatione respuit.

Ita mature admodum omnes Latini, dissipatis dubiis, epistolam ad Hebraeos uti Paulinam susceperunt.

§. III. Rationes dubitandi internae.

Nunc vero singillatim expendendae sunt rationes illae internae, quae multos moverunt ne epistolam ad Hebraeos inter Paulinas recipere: quamvis enim, ut supra vidimus, nonnulli Latinorum

ex antiquiorum silentio vel dubitationibus in hanc sententiam adducti sunt, plerique tamen, ac praesertim antiquiores internis difficultatibus perterriti fuerant. Sunt autem istae praecipue sequentes.

1° *Omissio nominis Pauli.* Solet enim Apostolus nomen suum epistolis vel inscribere vel subscribere, idque etiam tamquam epistolarum suarum authenticae tesseram assignare videtur (1). In epistola autem ad Hebraeos Pauli nomen nusquam comparet.

2° *Styli diversitas.* Facile enim est observare epistolam hanc a caeteris Paulinis aliquantum diversam esse, eiusque stylum longe copiosiore, graviore ac elegantiore esse, quam in aliis Pauli epistolis.

3° *Citatio Sacrae Scripturae iuxta versionem Graecam Alexandrinam,* quod iam observaverat Hieronymus in l. III in Isaiam. Si enim, inquit adversarii, Paulus hanc epistolam scripsisset, cum Hebraeos Hebraeis loqueretur, procul dubio hebraicum textum citasset. Nunc autem graecam versionem citat: neque id potest epistolae interpreti adscribi, ipsae enim auctoris argumentationes, et sermonis nexus in graeca versione fundantur, quae iuxta lectionem hebraici textus haud recte procederent. Ita ex. gr. in cap. VIII, 8 sequitur verba Ieremiae XXXI, 31, et ex natura Testamenti ibidem promissi argumentatur: quod argumentum fundatur in graeca voce *δωδεκα* quae proprie *Testamentum* est, dum in hebraeo textu Ieremiae legitur *berith* (ברית) quod Testamenti notionem non praesert. Hisce addendum est quod auctor nomina quaedam hebraica ut *Melchisedech*, et *Salem* (cap. VII, 2), lectoribus explicat, quod certe non fecisset si Scripturam hebraice citasset.

4° *Errores, et contradictiones cum iis quae vel in aliis Pauli epistolis, vel in libris V. T. leguntur.* Ex quibus haec potissimum urgent adversarii.

a) Cap. II, vers. 3, auctor narrat gratiam Evangelii sibi allatam fuisse per Apostolos, ac prodigiis confirmatam; quod repugnat Paulo dicenti Gal. I, 12, se non ab hominibus accepisse Evangelium, sed per revelationem Iesu Christi.

b) Cap. VI, 4-6 *impossibile* dicit poenitentiam iis qui post baptismum peccarunt, quibus etiam negat ullam relinqui pro peccatis hostiam (X, 26): quo nihil magis repugnat sive universae Scripturae

(1) 2° ad Thess. III, 17.

rae sive speciatim Paulo Rom. II, 4, 2^o Cor. VII, 9, 10; XII, 21 omnes ad poenitentiam invitanti, et gravissimis etiam peccatis veniam concedenti.

c) Cap. IX, vers. 1-4 descriptio Tabernaculi foederis quosdam errores continet. Nam 1^o thuribulum aureum (χρυσόον θυμιατήριον) intra Sanctum Sanctorum collocat cum nihil huiusmodi in Pentateucho legatur, immo ex Exodo XXX, 6 (1), et Iosepho Flavio Antiq. VI, 8 id omnino falsum appareat. - 2^o In arca ponit vasculum continens manna, et virgam Aaronis, cum tamen certum sit ex aliis Scripturae locis in arca nihil praeter tabulas legis asservatum fuisse; ita enim legitur 3 Reg. VIII, 9: « In arca autem non erat » aliud nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in » Horeb quando pepigit Dominus foedus cum filiis Israel, cum egre- » derentur de terra Aegypti; » eademque verba repetuntur 2 Paralip. V, 10.

5^o Obiciunt verba illa cap. XIII, 23: « Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum (Syriaca versio habet vinculis solutum): » ex quibus deducunt epistolam ad Hebraeos post Pauli mortem scriptam fuisse: siquidem, aiunt, Timotheus vivente Apostolo nunquam in vinculis fuerat, cum de hoc nihil occurrat in Pauli epistolis ad eum demissis, quarum alteram paulo ante mortem Apostolus scripsit. Haec ergo Timothei captivitas et liberatio post Pauli mortem accidit, et tunc etiam epistola de qua loquimur data est.

§. IV. Argumenta interna pro Paulo epistolae auctore, et contrariorum solutio.

1^o Positive plura occurrunt quae Paulum auctorem produunt, sive materiam epistolae, sive formam inspiciamus.

Sane huius epistolae materia est prorsus Paulo familiaris, et cum coeteris eius epistolis convenit: ita sunt, quae hic habet de vanitate rituum Mosaicorum, de praestantia novae Legis supra veterem, de typica Legis antiquae significatione, et alia huiusmodi. - Ad formam vero quod spectat, permultae hic occurrunt formulae,

(1) « Ponesque altare (thymiamatis) contra velum quod ante arcam pendet » testimonii..... et adolebit incensum super eo Aaron snave fragrans manne etc. » Quod hic dicitur altare thymiamatis idem est ac thuribulum aureum (χρυσόον θυμιατήριον) de quo sermo fit in loco ab adversariis obiecto.

phrases et imagines Paulo familiares, ac propriae. Pauca exempla dabimus. In cap. VIII, 5, et X, 1 res antiquae Legis vocantur umbra rerum futurarum et coelestium, qui loquendi modus Pauli proprius est (Coloss. II, 17). In cap. II, 2 vocatur lex per angelos dictus sermo (ὁ δὲ ἀγγέλων λαλήθεις λόγος) quae phrasid Pauli propria recurrit ad Gal. III, 19. Item in epistola ad Hebraeos V, 13, 14, debiliores vocantur ἡπιοί, firmiores autem τέλειοί, quae appellatio a Paulo frequenter usurpatur (1 Cor. III, 1, XIV, 20 et alibi). Idem dic de imagine gladii, sub qua repraesentatur verbum Dei in epistola nostra IV, 12, quae recurrit ad Ephesios VI, 17; item metaphora lactis, et solidioris cibi, qua designatur doctrina vel faciliior, vel difficiliior (Hebr. V, 13), quae pariter legitur 1 Cor. III, 2.

Haec sunt pauca exempla similitudinis inter epistolam de qua loquimur et caeteras Paulinas, ex quibus idem epistolarum auctor non obscure innuitur.

Alia etiam in hac epistola occurrunt indicia quae Paulum auctorem produunt: ita ex. gr. quod de Timotheo legitur XIII, 23: « Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si » celerius venerit videbo vos; » quae quidem Apostolo omnino conveniunt, cuius familiaritas cum Timotheo ex aliis epistolis notissima est, ubi etiam illum aliquando fratrem suum appellat, ex. gr. 1^o Thess. III, 2: « Misimus Timotheum fratrem nostrum... ad con- » firmandum vos etc. » Modus etiam epistolam claudendi totus Pauli est XIII, 24, 25: « Salutate omnes praepositos vestros et omnes » sanctos... gratia cum omnibus vobis. Amen. » quae gemina prorsus sunt iis quae in fine aliarum Pauli epistolarum leguntur. Adde mentionem vinculorum Pauli in c. X, 34: « Nam et vincitis (graece: τοῖς δεσμοῖς μου, vinculis meis) compassi estis, » cuius rei mentio in pluribus suis epistolis a Paulo ingeritur ex. gr. Philip. I, 7, 13, 14, 17; Col. IV, 18; 2^o Tim. II, 9; Philem. vers. 10 seqq. Item quae leguntur cap. XIII, 18: « Orate pro nobis, confidimus enim quia bonam » conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari » quae duo Paulus frequenter in suis epistolis facit, scilicet orari pro se postulat ex. gr. Rom. XV, 30; Eph. VI, 19; Col. IV, 3; 2^o Thess. III, 1, et ad testimonium suae bonae conscientiae appellat ex. gr. Rom. IX, 4; 2^o Cor. I, 12 et alibi.

Ex hisce aliisque indicibus Paulum epistolae huius auctorem fuisse satis apparet.

2^o Crescit vis argumenti si *negative* consideremus nemini ex aliis auctoribus, quibus aliquando epistola tributa fuit, indicia interna convenire. Sane de *Tertulliano*, cui a nonnullis epistolam ad Hebraeos adscriptam fuisse, refert Xistus Senensis (in Bibliotheca Sancta lib. VII), vix est dicendum; nihil enim absurdius atque oscitantius ab istis affirmari potuit, cum et Tertulliani stylus toto caelo diversus sit, et ante Tertullianum epistola haec Clementi Alexandrino, Pantaeo et Clementi Romano nota fuerit, et ipse Tertullianus eam citet (C. Iud. cap. II etc. Adv. Marc. I. II, c. 8), et in libro de *Pudicitia* c. 20 eam Barnabae adscribat. — Hoc itaque omisso dicimus neque caeteris praesumptis auctoribus huius epistolae characterem convenire. Non *Barnabae* cui Tertullianus, isque fortasse solus, epistolam tribuit; nam epistola Barnabae, quae adhuc superest (si eius est) a nostra epistola quam maxime differt stylo et graeca dictione. Accedit quod Barnabam in Italiam captivum venisse et ibi in vinculis fuisse, quod auctor epistolae ad Hebraeos de se dicit (XIII, 24, X, 34), a nemine traditum est; denique Barnabas fortasse eloquentia illa caruit, quae in nostra epistola elucet, unde in suis cum Paulo apostolicis itineribus eidem Paulo utpote eloquentiori officium concionandi relinquerebat: quare Act. XIV, 11 Listrenses « vocabant Barnabam Iovem, Paulum vero *Mercurium*, quoniam ipse erat *dux verbi*. » — *Clementi* autem Romano multo minus favent epistolae huius characteres: quidquid enim sit de stylo, certe epistolae compositio huic auctori tribuenda non est; quomodo enim latinus homo tam peritus in hebraica literatura esse potuit, atque tanta legis Mosaicae eiusque mysticorum sensuum doctrina instructus, quemadmodum auctor epistolae ad Hebraeos fuisse apparet? Accedit verba illa cap. XIII, 23 Clementi non convenire, qui neque Timothei tam familiaris fuit, neque Hebraeos in Palaestina degentes umquam invisere cogitavit. — Non maiori probabilitate *Lucae* nostra epistola tribueretur, cum stylus Lucae minus hebraicus sit, isque Hebraeorum doctor numquam fuerit, caeteraque superius memorata adiuncta non magis Lucae quam Clementi convenient. — De *Sila* autem, aut *Apollone* aut *Marco* quid dicemus? Qui iis epistolam tribuerunt divinando potius quam argumentando id affirmarunt, nulla prorsus sive externa sive interna ratione ducti; quorum proinde sententia eodem iure negatur, quo asserta est.

Cum igitur alius praeter Paulum epistolae ad Hebraeos auctor

verosimiliter assignari nequeat, iterum concludendum est Paulum et non alium esse epistolae auctorem.

Restat nunc ut internas difficultates in superiore paragrapho propositas diluamus; ex quarum solutione veritas nostrae Theseos validissime confirmabitur, cum in iis adversarii potissimum sententiae suae fundamentum collocent.

Obiectio 1^a desumebatur *ex omissione nominis* Pauli in nostra epistola.

Resp. 1^o argumentum esse mere *negativum*; non enim possunt adversarii ostendere Paulum omnino debuisse suum nomen epistolae apponere. Nam quod dicit 2^o Thess. III, 17: « Salutatio mea manu » Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo. Gratia Domini Nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen » non significat se nomen semper inscribere voluisse, sed ad salutationem ipsam referendum est, quam Paulus solebat *manu sua* addere epistolis quae plerumque ab alio, eo dictante, scribebantur (Cfr. Rom. XIV, 22). Cum autem salutio illa in epistola ad Hebraeos non desit (XIII, 25), patet argumentum contra adversarios retorqueri posse.

Resp. 2^o posse rationes probabiles assignari cur nomen suum Paulus omiserit in nostra epistola: ac prima quidem ratio esse potest ea quam Pantaeus affert (apud Eus. VI, 14), scilicet Apostoli modestia, eo quod non esset Hebraeorum Apostolus, sed potius gentium. Alteram rationem assignat Clemens Alex. (Eus. I. c.) ex eo quod Hebraei infensi essent Paulo quia vehementius legis abolitionem et rituum Mosaicorum vanitatem proclamabat: hinc ne eorum animos irritaret abstinuit a more sibi consueto seipsum nominandi atque Apostolum vocandi in principio, vel in fine epistolae suae. Hae rationes satis probabiles sunt: quibus tamen tertiam addere possumus ex natura epistolae desumptam, quae tota dogmatica est, et magis tractatus theologicus appellari posset quam epistola; unde mirum non est si consuetae epistolarum formae, uti sunt inscriptio, et subscriptio nominis omissae fuerint. Caeterum si Paulus nomen suum omittit, ea tamen ponit praesertim in fine epistolae, ex quibus lectores facile eum dignoscere poterant, ut superius vidimus.

Obiectio 2^a ducebatur *ex diversitate styli*.

Resp. Ex iis quae in expositione argumentorum internorum diximus apparet diversitatem styli tantam non esse quantum adver-